

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20



Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS.

DE

FEBRE PE-
TECHIALI,

Quam sub

Auspiciis Divinis,

Consentiente

Gratiosissima Facultate Medica,

In Academia Argentinensi,

Pro

SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS

ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

LEGITIME CONSEQUENDIS,

SOLENNI *Philiatricorum Examine*

subjicit

JOHANNES GEORGIUS SEBIZIUS,

Argentoratensis.

Ad. d. 6. Mens. Julii. MDCCIX.

Hora locoque consueto.

ARGENTORATI

Literis JOHANNIS WELPERI.

VIRIS

*Nobilissimis, Excellentissimis,
& Experientissimis*

DN. JOHAN. SIGIS-
MUNDO HENNINGERO,
Med. D. & PP. h. t. Facultatis De-
cano spectabili, Capituli Thomani
Canonico.

DN. JOH. VALENTI-
NO SCHEIDIO, Facultatis
Med. Sen. Gravissimo, Reip. Ar-
chiatro, Cap. Thom. Decano.

DN. JOHAN. SALZ-
MANNNO, Med. D. & Anat.
Prof. Publ. Cap. Thom. Can.

*Patronis atq; Præceptoribus
æternum venerandis.*

Ut &

10

*Nobilissimo, Amplissimo &
Experientissimo*

DN. HENRICO NI-
COLAI, Med. Doct. & Pra-
ctico Celeberrimo, Affini omni
honoris cultu prosequendo.

Nec non

Nobilissimo & Amplissimo


DN. JOH. HENRI-
CO KOPPIO, Pharmacopœio
famigeratissimo, atque Affini
summe colendo.

Theses hasce Inaugurales

ea qua decet observantia

D.D.D.

JOH. GEORGIUS SEBIZIUS.



Q. D. B. V.

Nter innumeros genus humanum è medio tol-
lentes morbos Febrem Pete-
chiale non infimum possi-
dere locum, Magnatum & plebejorum co-
piosissima paucis abhinc annis, quando
epidemice per totam ferè Germaniam di-
rus hic grassabatur hostis, funera testan-
tur: quare cum nuperrime, superatis E-
xaminibus Doctoralibus, à Gratiostissima
Facultate Medica Dissertationem inaugu-
ralem concessum fuerit conscribere, &
mihi cum febre hacce tam in Castris,
quam in urbe Uratislaviensi per aliquot
annos conflictari licuerit, paucas quasdam
Theses de ea conscribere & Eruditorum
Exa-

*Examini subicere volui: ulteriorem enim & uberio-
rem tractationem & studiorum meorum tenuitas, & tempus dis-
cessus proximum non permiserunt, dabitur tamen, ea quæ fors-
an obscura aut dubia videntur, ulterius in ipso conflictu ex-
plicandi occasio. Faxit DEUS, ut id cedat in nominis sui
Gloriam.*

I.

Febbris Petechialis, quam etiam lenticularem, pulicarem, peticularem & peticulam luem vocant, nomen potissimum à petechiis sive maculis lentis magnitudinem plerumque vix superantibus & pulicum morsui similibus obtinuit. Germ. audit *Das Fleckfieber*.

II.

Non tamen quivis morbus cum cutis efflorescentia conjunctus statim petechialis est febris, non pauci enim alii dantur in quibus varia hujusmodi cutis cernuntur exanthemata: ita in febre purpurata s. purpura copiosæ in cute reperiuntur maculæ, quæ tamen quandoque in pustillas elatæ, tandem sub squamularum forma decidunt. Ita in febre Scarlatina, quam, Sydenham Sect. 6. cap. 2. pag. 328. describit, cum febre totum corpus occupant maculæ rubræ latiores, post duos vel tres dies evanescentes: porrò in morbillis quoque copiosæ in corporis superficie cernuntur maculæ, regulares

A 3

tamen

tamen magis & uniformes quam in Scarlatina febre, imò in Scorbuticis & Arthriticis interdum cum, interdum sine horrore copiosissimæ erumpunt maculæ rubræ: cujus rei exemplum videre mihi licuit in Aurifabro, à Patre Podagrigo nato, cui partes inferiores usque ad pudenda post levem horrorem & aliqualem æstum innumeris conspergebantur maculis, reliquo corpore immuni: denique post febres intermittentes male curatas, maculæ hujusmodi nonnunquam erumpunt, quod vidi in puero quodam cujus corpus maculis ex atro rubentibus & nigris totum confitum erat.

III.

Ab hisce tamen omnibus toto cœlo differt Febris Petechialis & quidem 1. ratione febris quæ acuta & maligna est, cum priores ut plurimum sint benignæ & citius ad finem perveniant. 2. ratione macularum: in nostra enim febre maculæ minores sunt & lenticulæ magnitudinem raro superant, suntque simul uniformes & rotundæ; quibus accedit, quod circa quartum demum diem aut tardius quoque septimum, nonum, undecimum absque ullo tamen levamine erumpant: cum è contra in antea dictis maculæ nullam fervent figuram, magnitudine veras superent petechias, & citius ac cum levamine ægri in cute appareant. 3. ratione Symptomatum: quæ in nostra gravissima sunt, & licet mitiora interdum videantur, hoc ipso tamen eo majus periculum portendunt, malignitatem & summam virium prostrationem: priores autem morbos levia ut plurimum comitantur symptomata, & licet in quibusdam gravia quoque observentur, magno tamen periculo & malignitate vacant.

IV. Præ.

IV.

Præter maculas autem hæc varia alia sunt Symptomata magnitudinem & indolem morbi manifestantia : præcedit enim eam plerumque aliqua-
lis gravedo, tussis, torpor, aut lassitudo corpo-
ris & dolor capitis obtusus, hinc invadit cum hor-
rore majore vel minore, quem insequitur æstus
cum prostratione virium subitanea & maxima, ac-
cedunt sitis, appetitus prostratus, vigilia, corporis je-
ctigationes, cardialgia, deliria, phrenitis, hæ-
morrhagia narium, diarrhœa, coma, singultus,
convulsiones, aliaque pro subjectorum diversitate
variantia Symptomata.

V.

Pertinet autem Febris hæc ad morbos inflam-
matorios, quatenus non tantum ipsa æstu febrili ac-
censa est Massa sanguinea, sed etiam hic æstus hinc
inde in corpore diversis communicatur visceribus,
quæ inflammata & morbum & periculum augment :
luculentissimè autem hujusmodi partium interna-
rum inflammatio vel dispositio inflammatoria patet
ex phrenitide à meningibus cerebri inflammatis
producta : imo summa illa quam interdum patiun-
tur, cardialgia ut & singultus, Ventriculi & diaphra-
gmatis inflammationem non obscure indicant, ut
taceam anxiam & anhelosam illam quorundam re-
spirationem pulmones ab inflammationis labe non
immunes esse satis indicare.

VI.

Ex antea dictis itaque Symptomatibus satis pa-
tet morbum huncce magnum à veneno quodam de-
pendere, quod vel respiratione, vel cibis & potu,
contagio item aliisque modis intra corpus receptum
totam

totam turbat Oeconomiam animale. Cujusnam autem sit naturæ hocce venenum & quomodo operetur in corpore, variaque & magna producat Symptomata non adeo convenit inter Medicos, alii enim acidum id esse & sanguinem coagulare asserunt, alii animatam seu verminosam progeniem cum Kirchero & Langio causam allegant, alii putredinem in scenam producunt. Sed salvis aliorum hypothesebus mihi accuratius omnia Symptomata consideranti probabilius videtur, venenum hocce esse plerumque naturæ Θ ina: volatilil & acris, cujus respectu magnam in Massa sanguinea excitat ebullitionem, crasin ejus & consistentiam, particulas gelatinosas nimis dissolvendo, prorsus tollit.

VII.

Rem ita se habere ex symptomatibus ferè omnibus elucescit: & quidem 1. ex maculis: hisce enim sanguinem fluxilem per diapedesin ex poris arteriarum excidentem esse certissimum est. conf. Scretæ de Febre Castrensi Maligna p. 153 & hanc fluxilitatem sanguis quoque extravasatus diu servat, unde etiam facillime absorbetur & maculae retrocedunt, ac ob acrimoniam quam in stasi illa acquisivit, gravia postea infert symptomata. 2. Patet ex viscerum inflammatione, sanguis enim itidem nimis resolutus ad ea depositus acredine sua inflammationem producit, ut id quoque contingit in pleuritide & peripneumonia, in quibus sanguis exæstuans nimisque inflammatus & ad pleuram aut pulmones depositus inflammationem excitat. 3. Clarum est ex symptomatibus febrilibus æstu, siti, vigiliis, pulsu celeri, quæ uti in aliis febribus à nimia sanguis effervescencia, ita & h. l. à nimia ejus ebullitione & resolu-

tionē

tione dependent. 4. Liquet ex analogia congenerum morborum, ex variolis scil. morbillis, aliisque febribus exanthematicis & inflammatoriis, in quibus omnibus nimia sanguinis peccat ebullitio. 5. Manifestum fit ex sanguine vena secta emissio aut narium hæmorrhagia rejecto, qui diu absque ulla permanet coagulatione. 6. Probat autopsia Anatomica, sanguinem etiam post mortem per aliquot horas fluxilem adhuc esse, quod B. Dn. Frater meus in Theatro observavit Anatomico, cum enim corpus cujusdam Febre maligna Petechiali denati paulo post mortem aperiret, sanguis cum impetu è vasis profiliit: imò retulit mihi amicus, se, cum uterum puerperæ hoc morbo denatæ diffecaret, sanguinem intra substantiam uteri non coagulatum sed fluidum reperiisse. 7. Probant denique juvantia atque nocentia, blanda enim acida, absorbentia fixiora, nimiam sanguinis rarefactionem impediunt febre hacce laborantibus conveniunt, cum è contra diaphoreticorum & inprimis volatiliū abusus febrim intendat, & ad convulsiones viam sternat.

VIII.

Nec est quod quis excipiat, sopores huic morbo sæpius supervenientes sanguinis coagulatum probare: vas enim à sanguine, nimia copia ad caput congesto, nimis distenta, cerebri fibrillas premeunt spirituum animalium ad partes influxum impediunt, quale quid contingit in Apoplexia sanguinea: imò ipsi spiritus à morbi vehementia & veneno suppressi & absumpti, quoniam in sufficienti co-

B

pia

01
pia ad partes fluere nequeunt, huic sopori ansam
dant: cui accedit, quod pro subjectorum, anni
temporis, ætatis, aliarumque circumstantiarum con-
ditione diversos malignum hocce contagium edat
effectus, pro diversa nempe Massæ sanguineæ, ut-
pote humoris maxime heterogenei, constitutione.
Quæ autem postmodum humorum contingunt stas-
es, quales observantur in inflammationibus viscerum
ac in bubonibus, potius productum sunt febris,
quatenus scil. serum nimis qs. incoquitur, spissius
redditur, in glandulis secretoriis facillimè stagnat &
ob acrimoniam inflammationi ansam præbet.

IX.

Quamvis autem hæc febris à causâ communi,
infectione scil. aëris dependeat, non tamen nisi di-
spositos invadit, quorum scil. sanguis ob tempera-
mentum calidum & ob ætatem juvenilem ad hu-
jusmodi ebullitiones pronus est; quique ob
diætæ calidioris abusum sanguinem sibi contraxe-
runt calidiorem & acriorem, hi enim facillimè hoc
morbo corripiuntur, cum è contra infantes, senes
& frigidioris temperamenti homines rarius eum, ob
sanguinem ad ebullitionem minus aptum experian-
tur.

X.

Quantis hinc tam ob causæ malignitatem,
quam ob symptomatum gravitatem ægri subjecti
sint periculum per se clarum est: inprimis autem pe-
riculum augeat, si vires ab initio nimium prosternun-
tur: si maculæ statim apparent; si ratio læditur, ita
ut ægri se gravi morbo laborare non sentiant; si hæ-

hæmorrhagiæ in principio morbi superveniunt, aut die non critico contingunt; si accedit diarrhœa: Si macularum color floridus in lividum aut cœruleum mutatur, aut si prorsus disparent, si ægris affectus soporosi & convulsiones accedunt, ut alia taceamus.

XI.

Cum morbus sit magnus & periculosus, non sine magno quoque curatur labore, eo autem omnis tendit labor, ut fermenti maligni vis infringatur, & per convenientes vias è corpore expellatur, vires conserventur, simulq; ut symptomatibus urgentibus occurratur: hic ut obtineatur finis, varia sunt quæ in usum trahi debent remedia, inter quæ agmen ducunt Vomitoria, cum enim cruditates biliôsæ aliæq; in Ventriculo contentæ & à fermento maligno magis deleteriæ redditæ, periculosam sæpius ægro in statu morbi causentur diarrhœam & dysenteriam, in principio statim morbi, antequam ægri vires nimis attritæ sunt, removeantur. Huic fini præ cæteris inservit Tartarus emeticus & inprimis ipecacuanha, quippe cui præter vim emeticam & specificam antidyentericam, virtutem quoque adscribunt alexipharmacam, ita novi hanc radicem quater optimo cum successu virgini Febre Petechiali cum dysenteria laboranti exhibitam fuisse, optimè mitigatis hinc symptomatibus gravioribus.

XII.

Quod autem Purgantia proprie sic dicta attinet, ea quidem communiter ex eo rejiciuntur fundamen-

damento, quod irritatione sua naturam turbent, expulsionem macularum impediunt, fermentum malignum ad partes internas & nobiliores derivent, ac diarrhoeam si non lethalem maxime tamen periculosam excitent: sed hisce non obstantibus nihilominus purgantia mitiora, qualia sunt potio purgativa Sydenhamii, infusum senæ cum rhabarb. scorz. & scordio, ad evacuandas particulas biliosas & crassiores malignas cum fructu exhibita fuisse testatur Hist. Morb. Urat. p. 10. nec etiam omnes diarrhoeæ huic febrî supervenientes adeo periculosæ ægroque semper funestæ sunt, quod præter alia in priori thesi allegatum probat exemplum, sed potius interdum salutares sunt, quod peculiari dissertatione de Diarrhoea in febribus malignis aliisque acutis morbis salutari probavit Frid. Hoffm. Prof. Hallensis, Conf. D. Stahl Problem. Pract. Febr. in proœmio, unde etiam Elixir. Polychrestum quod materiam febrilem per inferiora educit, Halæ Saxonum frequentissimè in febribus malignis diarrhoea carentibus exhibit. vid. Richters Unterricht p. 284. & 428.

XIII.

Post evacuantia ægroti salus à legitima Diaphoreticorum & Bezoardicorum convenientium exhibitione unice dependet, quatenus hæc non venenum solum alterant ejusque malignitatem infringunt, sed etiam à nobilioribus partibus versus cutim protrudunt, & sanguinem eò depositum maculasque constituentem, sensim dissipant atque hinc impediunt quo minus in Massam sanguineam summo cum ægroti damno regredi queat. Magna tamen

tamen hoc loco opus est cautela, nec promiscue omnia diaphoretica usurpanda: volatilia enim qualia sunt, Spir. C. C. Tart. Viper. Theriac. Camph. Tinct. Bezoard. Theriaca Androm. cœlestis, *Θια* *Αλια*, C. C. Succini, Viperarum, Liquor. C. C. succinatus aliaque non nisi in principio & augmento morbi conveaiunt; si verò, inpr. camphorata nimis, in statu propinatur, maximas angustias, ebullitiones, dissolutiones virium funestas, cephalalgias immanes, convulsiones & deliria lethalia excitant, ut taceam horum usu nimio & perverso morbos per se malignitate carentes sæpius maxime malignos reddi. Magis ergo in statu proficua sunt fixiora diaphoretica, Antim. Diaph. Bezoard. min. C. C. philof. unic. foss. unic. ver. terr. sigill. lap. 69. succin prepar. Matr. perl. Cistab. nat. aliaq; sed & horum usus inprimis in forma pulverum sit moderatus, quoniam non raro tumor pedum & dispositio ad hydropem nimium eorum usum sequitur.

XIV.

Non autem natura nimis urgeatur hisce sudoriferis aliisque remediis, nec etiam magna sed parva exhibeantur dosi, sæpiusque repetantur: sic enim naturæ nulla infertur vis, sed ea successivè ac tranquille ad desideratam operationem s. veneni expulsionem perducitur. Et utinam hoc observaretur in omnibus acutis morbis, ubi magna humorum occurrit ebullitio, & fibrillæ admodum sensiles existunt, longè enim feliciter curarentur: id quod manifestè videmus in variolis, in his enim si nimia medicamentorum calidorum copia exhibetur,

B 3

tur-

turbata natura morbus sæpe in pejus mutatur, sin verò Medicus naturam agentem sequitur; eamque deficientem adjuvat, excedentem v. lenibus medicamentis reprimat, aut interdum profus nil exhibendo spectatorem naturæ operationum tantum agit, felicissimè utpl. evadunt.

XV.

Non tamen his solis fidendum est, quoniam solo sudore non tollitur. venenitas teste Wedelio de Facult. Medic. p. 166. Sed alia quoque interpolanda iisque admiscenda sunt, quæ nimiam sanguinis ebullitionem refrænare venenique vim infringere possunt: inter hæc autem primum facile obtinent locum Nitrosa, quæ quidem eò in casu, ubi æstus febrilis simul maximè urget, nobilissima sunt; Nitrosa enim feri fluxilitatem conservant, Sal peregrinum infringunt & temperant, ardorem febrilem compescunt, rarefactionem Massæ sanguineæ nimiam & ichorescentiam impediunt, adeoque feri consequentem defectum, & incoctionem remorantur, vel saltem non promovent: & hoc modo speciatim in deliriis & ubi inflammatio in internis metuitur, quales frequentissimè in peste febribusque malignis contingunt, præstantissima sunt. Vid. Wedel. Amœn. Mat. Med. p. 330. Sunt autem talia Lapis Prunellæ (qui annotante Wedelio nomen indè indeptus est, quod prunæ sive fervori febrili conveniens sit) Nitrum Antimoniatum, Perlatum aliaque.

XVI. Ei-

XVI.

Eidem fini etiam inserviunt acida, inque febribus hisce tam præservatorie quam curatorie adhiberi possunt, qualia sunt succus citri recens, Syrupus Acetositatis Citri, Acetum simplex & destillatum, Acetum Rutæ, Scordij, Sambuci, Theriacale, Aqua Prophylactica Sylvii &c. Non tamen per se, sed cum Bezoardicis & Diaphoreticis mixta usurpentur, sic enim egregio stratagmate conatum naturæ in expellendo veneno adjuvant, simul tamen maximam & Naturæ vim inferentem ebullitionem ita moderantur, ut funesta illa sanguinis rarefactio principiorumque vitalium resolutio minimè contingere queat. Et hunc sine dubio finem primi Mixturæ simplicis inventores Paracelsus & qui hunc secuti sunt Michaëlis, Ludoyici aliique, intenderunt, qui Spiritui Theriacali & Tartari, Spiritum Vitrioli volatilem addidere, eoq; optimo cum successu in omnis generis morbis malignis usi sunt; est enim ut verbis Etmülleri Tom. I, p. 946. rem proferam potentissimum sudoriferum, simul tamen ebullitiones compefcit nimias, perturbatam Sanguinis crasin rectificat, & si quæ subest malignitas eam potenter per sudorem expellit.

XVII.

Ad temperantia pertinent etiam Emulsiones ex Amygdalis dulcibus, semine citri, aut quatuor frigidis majoribus cum aquis diaphoreticis, cardui fcil, benedicti, ulmaria, galegæ & theriacali parata,

tæ, quibus pro re nata pulveres quoque diaphoretici & absorbentes addi possunt: egregie enim macularum eruptionem, venenique à natura institutam expulsionem promovent, simul vero particulis blandis mucilaginosus oleosisque veneni acrimoniam temperant, ac vinculum quasi Massæ sanguineæ, quo minus à veneno resolvi queat, præbent, ut eas æstum & sitim simul maximè extinguere taceam.

XVII.

Ad eundem æstum imminuendum & ebullitionem infringendam sunt, qui Venæ Sectionem commendant, quam tamen alii prorsus rejiciunt, existimantes venenum h. m. à Natura versus exteriora propulsam, denuo ad partes derivari nobiliores, sicque naturæ vim inferri, ejusque ordinem inverti, eam enim instituere morbi hujus curationem per lenem diaphoresin, labefactari præterea vires alias in hoc morbo satis prostratas, ac morbum huncce non à plethora sed à venenata Sanguinis qualitate, indeque orta præternaturali ebullitione dependere, sicque nullum adesse indicans, quod Venæ Sectionem urgere possit, imò plura morbi hujus post Venæ Sectionem in pejus mutati prostare exempla.

XIX.

Verum enim vero cum r. certi dentur casus, ubi ob nimiam valorum distentionem sanguinis ebullitio, quanta quidem pro veneni exclusione requi-

requiritur institui non possit : ac 2. ob eandem
 causam sanguinis stagnationes & viscerum inflam-
 mationes funestæ metuendæ sint : & 3. commu-
 ne illud assertum , Venæ sectionem à circumfe-
 rentia ad centrum venenum revehere, veritati con-
 trariari à Septalio Animadv. Libr. 5. §. 35. Sydenh.
 Opusc. p. 178. & Hist. Morb. Urat. p. 166. ex Cal-
 deræ ab Heredia Tribun. Medic. Libr. de Variolis
 Cap. probetur : præterea 4. in variolis, peste aliis-
 que similibus morbis cum fructu passim institua-
 tur : ac 5. teste Muralto M. N. C. Dec. 2. Ann. 7.
 197. in Sutore præsentibus maculis instituta, & ab
 aliis diversis in locis admodum salutaris deprehen-
 sa fuerit : & denique 6. maximè variet & hoc an-
 no hanc, sequenti verò aliam postulet methodum :
 non video cur adeò rigorosè & in totum Venæ sec-
 tio rejici debeat. Existimo ergò Venæsectionem
 in febribus malignis præsentibus quoque maculis,
 in hominibus sanguineis, & ubi æstus maxime ur-
 get, ut & in puellis plethoricis quæ, licet debitos
 attigerint annos, fluxium mensum nondum pas-
 sa sunt, non esse omittendam, fervores enim o-
 ptimè compefcit, humorum impetus cohibet, &
 refrigerium succis conciliat, ex quo & natura pa-
 catio facta noxia disgregat, vires collapsas collig-
 git, parteque oneris levatâ, quod reliquum est
 facilius vincit & superat. Nec valeat objectio mor-
 bum post Venæ sectionem pejorem sæpius esse reddi-
 tum, dubium enim adhuc est an Venæ sectio an
 verò malum regimen & diaphoreticorum abusus
 in causa fuerint : & posito omnibus aliis probè
 observatis ægrum mortuum esse, quis Medicorum
 C
 adeò

adeò felix apprehenditur , ut methodo sua inevi-
tabile fatum avertere semper possit. Qui verò his-
ce non contentus plura de Venæ sectionis in febribus
malignis utilitate legere cupit , adeat præter su-
perius allegata Misc. N. C. Dec. 2. Ann. 6. p. 445.
Ann. 7. p. 408. & hujus Anni Append. p. 72. &
seq.

XX.

Hactenus recensita remedia febrem ipsam e-
jusque curationem spectant , dantur tamen varia
accidentia quæ & mitigationem & sui ablationem
indicant : ex quibus præcipua sunt : Sitis , Vigi-
liæ , Sopor , Deliria , Convulsiones , Retrocessio
macularum & Diarrhoea , Hæmorrhagia narium &
Cardialgia.

XXI.

Quod sitim attinet , quamvis eam aliquo mo-
do extinguant , supra recensita remedia Nitrosa
& acida ut & emulsiones , cum tamen sitis conti-
nuò fere urgeat , illa vero remedia nimia assume-
re copia non sit licitum , Julapia refrigerantia loco
potus ordinarii assumpta optime conveniunt :
possunt autem parari ex decocto hordei , Cornu
Cervi , Scorzonera , Citri , quibus pro grato sa-
pore Succus Citri , Rob ribium , Berberum , Sy-
rupus Acetositis Citri , Granatorum , rubi idæi
addi possunt , nec etiam omittenda est Gelatina
Cornu Cervi , utpote quæ ad temperandam san-
guinis

guinis acrimoniam, ejusque astum infringendum cum prioribus acidis laudatissimi est usus. Largiter autem bibent, & potus sufficiens, quod quidem multis solenne est, non denegetur, crudele enim est ægro igne febrili & maligno undiquaque repleto potum retrahere, qui sapius plus quam centum Aquæ perlata & Confortantes præstat.

XXII.

Vigiliæ quoque maximè in hoc affectu urgent, nullis sapius remediis compescendæ, unde ægrorum vires maximè atteruntur: quaritur ergo an remedia convenient anodyna; affirmativam tenent non pauci, putantes opiata maximi h. l. esse usus, quod non solum virtute gaudeant diaphoretica, sed etiam sulphure suo blando narcotico frænum injiciant humoribus nimium ebullientibus, & Spiritus in vigiliis nimis fervientes, sicque ansam facillime deliriis præbentes compescant. Sed quamvis hæc certissima sint, maximè tamen ad regionem, subjecta ægrotantia aliasque circumstantias est attendendum & hinc non sine discrimine in omnibus sunt usurpanda: quoniam Zythopotæ facilius ferunt opiata quam Oenopotæ, ac præterea in subjectis, ubi vires jam sunt oppressæ, ea sapius paucos Spirituum manipulos opprimendo mortem accelerant.

XXIII.

Quamvis autem vigiliæ frequentissima sint,
 C 2 non



non pauci tamen dantur qui sopore fatis profundo afficiuntur , ad quem tollendum vesicatoria , carpis manuum vel furis applicata optimè conveniunt : non quidem ideò quasi venenum febrium malignum extrahant , sed quod Spiritus suppressos excitent , eorumque fluxum per nervos ad partes irritatione sua promoveant. Non autem diu cunctandum sed mature huic sopori obviam eundem est , quoniam facillimè altas agit radices , & postea non nisi fortissimis vesicatoriis tollitur.

XXIV.

Minimè tamen in deliriis , quamvis sint qui ope vesicatoriorum ea tolli posse sibi persuadeant , conveniunt : quoniam enim cantharides , è quibus communiter vesicatoria parantur , acri atque penetrantissimo gaudent sale , Massam sanguineam nimis exagitando malum potius augent quam imminuunt , imò delirantes abusu vesicantium plures mortuos quam sanatos esse observavit Baglivi Oper. p. 594. inprimis autem in omnibus iis subjectis in quibus magna adest Sanguinis agitatio & impetus , & ubi metus est convulsionum maximè ab eorum usu cavendum est , quia convulsionones maximè invitant. Sed & hic dandum est aliquid regioni , Uratislaviæ enim non contemnendum eorum usum deprehenderunt Medici uti testatur Hist. Morb. p. 13. In regionibus autem calidioribus & ubi homines diætæ assueti sunt calidiori commodè hujusmodi vesicatoriis diaphoretica cum nitrosis & acidis mixta substituuntur. Quale quid etiam

etiam observandum est in retroversione macularum ubi tutius diaphoretica volatilia fortissimè expellentia usurpantur : an autem in hoc casu juxta Ettmüll. T. 2. p. 413. particula panni rubri Anglici in cinerem combusta & ægro cum vino propinata arcanum sit, nondum experiri licuit. Eadem remedia quoque in convulsionibus cum fructu exhiberi possunt.

XXV.

Diarrhoea autem quamvis sæpius salutaris deprehensa fuerit, interdum tamen maximè urget & agrorum vires maximè infringit, quare ei maturè occurrendum est, non quidem adstringentibus, quæ periculosa post se trahunt symptomata, sed potius diaphoreticis fixis, ☉. scil. diaph. Terra Sigill. & Diafcardio Fracastorii aliisque præcipue pannonico rubro, quæ lenem diaphoresin excitando, materiam ad intestina fluentem sensim ab hisce versus cutim revellunt atque expellunt.

XXVI.

Quod tandem Hamorrhagiam Narium & Cardialgiam concernit : illa per Nitrosa assumpta optimè comescitur ; Hanc vero præter blanda acida ex Citro & Nitrosa, balsama ex oleis destillatis parata & scrobiculo cordis illata, vel etiam scuta stomachalia optimè sistunt.



XXVII.

Denique ad Diætam quod attinet, ab aëre frigidò studiose sibi caveant ægri, quoniam si huic corpus improvidè exponunt, facillimè maculæ retrocedunt, nec tamen è contrario sit nimis calidus, nec etiam stragulis nimis cooperiantur ægri, quod quidem plerisque maximè usualè est, dum putant h. m. venenum optimè expelli, sed falluntur, nimio enim hocce calore ebullitio Massæ sanguineæ intenditur, sitis aliaque symptomata augentur, viresque quàm maximè imminuuntur, color ergò sit moderatus qui scil. ad lenem diaphoresin conservandam sufficit. Cibi sint tenues: potus sit sufficiens, non tamen frigidus: Animi pathemata fortiora vitentur cum jectigatione corporis nimia, è contra quieti in lecto sint ægri, & in omnibus ita se exhibeant, ne naturam turbent, Medicique operam eludant.



Dies ist die andre Prob so Er Geehrter Vetter
 Von Seiner Wissenschaft/ Kunst und Erfahrung
 weist;

Wann Er heut wiederum besteiget den Catheder/
 Und Seine Feind daselbst zu fällen sich befliehet:
 Ich gratulir zum Kampff/ und wünsch vom Himmel Stärke/
 Sein Muth vermehre sich auch bey dem andern mal/
 Daß der Gelehrte Hauff bey solchem Streit vermercke
 Wie Er mit Recht gehör in die Sebzigisch Zahl.
 Ich zweiffle nicht daran wir werden bey dem Ende/
 Mit größter Herzens Freud in diesem Muses-Krieg/
 Zuschauen wie Er nimmt die Palmen in die Hände/
 Und wie Ihm gute Freund Glück wünschen zu dem Sieg.
 Kömmt ich Hochwerther auch das Herz in Worten zeigen/
 So glaub Er daß ich nicht der Allerkleinste wär;
 Allein die Schwachheit heisset vor dieses mal mich schweigen
 Weil heut das Werck selbst redt/ so brauchts der Wort
 nicht mehr.

Diese wenige Zeilen wollte dem Herrn Respon-
 denten und geehrtesten Vettern beyfügen

Job. Georg. Thenn Med. Lt.

Dies will des Lobes Glantz sich immerfort ausbreiten/
 Das Er an diesem Ort jüngsthin erworben hat;
 Er will jetzt ohne Hülf die Feinde selbst bestreiten/
 Und zeigen jedermann daß Er des Siegs nicht satt.
 Was Wunder? diesen Trieb hat die Natur gegeben/
 Und solchen Helden-Muth in Seiner Seel erweckt/
 Daß sich der Ahnen gleich/ die annoch bey uns leben/
 Der Glantz von Seiner Witze vor unsre Augen legt.
 Man

Man hört mit größter Lust Sein wohlgegründet Wissen/
 Auch die Gelehrte Schaar wird dadurch höchst ergötzt;
 Das Lob so neulich nicht genug von Ihr gepriesen/
 Wird bey der zweyten Prob jetzt nach Gebühr ersetzt.
 Er fahr nur fort im Streit die annoch wenig Stunden/
 Die Ihn nur viel zu kurz zu zeigen Seine Macht;
 Es ist die Ehren-Cron schon längst für Ihn gebunden
 Darum Er so viel Tag im Fleiß hat zugebracht.
 Der Himmel laß Ihn dann zu solchem Zweck gelangen/
 Und mach Ihn bald beglückt mit dem was Er begehrt/
 Daß Er als Doctor mög in höchster Würde prangen
 Der / wie die Sebisch / werd von jedermann geest..

Mit dieser schlechten Feder hat seine Pflicht
 gegen dem Herrn Respondenten bezeu-
 gen wollen

M. Johann Seyler Sem. Arg.

*Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.
 Non ratione carens docte Poëta canis!
 Felix, morborum causas qui percipit arte,
 Ac hos expellit clare Poëta cano:
 Ergo beatus eris, quia nunc ad utrumq; paratus,
 Ut puto, iudicio suavis Amice meo.*

*Paucula hæc Nobilissimo Domino
 Respondenti eidemq; Avunculo
 suo perpetim venerando.*

Φιλίας ἐνεκα,

accinere voluit, debuit,

Georg. Henr. Eifenmann. Phil. Stud.



X 237 1925

WMA







Q. D. B. V.
DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS.

DE
FEBRE PE-
TECHIALI,

Quam sub
Auspiciis Divinis,

Consentiente
Gratiosissima Facultate Medica,
In Academia Argentinensi,

Pro
SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
LEGITIME CONSEQUENDIS,
SOLENNI Philiatorum Examine

subjicit
JOHANNES GEORGIUS SEBIZIUS,
Argentoratensis.

Ad, d. 6. Mens. Julii. MDCCIX.
Hora locoque consueto.

ARGENTORATI

Literis JOHANNIS WELPERI